



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Ars Bonæ Mortis. Sive: Quotidiana Erga Sanctissimam Dei Matrem Mariam Pietas**

Ad omnia quidem utilis. Ad felicem tamen mortem obtinendam utilissima

**Hevenesi, Gábor**

**Coloniæ Agrippinæ, 1709**

XII. Septembris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50916](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50916)

S. Guido juvenis pauper, MARIÆ templo mundando, verrendo, & ornando fidelem & sollicitam operam impendit; minimos quoque animæ nævos frequenti, consideratâ, solidâ confessione eluere solitus. In morte lumen copiosè de cœlo lapsum eum illustravit, visa columba & cœlestis vox audita: Veniat dilectus noster ad percipiendam coronam. *Survius*. Etiam ignobiles virtus extollit.

S. Guido doce me opus aliquod & obsequium MARIÆ gratum præstare, paratus eî non tantùm usque ad defatigationem, & sudorem, sed & usque ad sanguinem servire: ora pro me Deiparam, ut omnes peregrinationis meæ dies ita transigam, ut portum æternæ felicitatis ejus adjutorio contingam. O Sanctissima DEI, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quàm animæ viribus centies millies, &c. *fol. 190.*

Ad quod impetrandum: restant 35. Ave Maria iteranda.

Ad MARIAM respiciunt, & qui habitant in cœlo, & qui degunt in Purgatorio, & qui habitant in mundo. Primi ut resarciantur; secundi ut eripiantur; tertii ut liberentur. *Hugo Card. sup. Cant.*

Quæstio: Quando & à quo Deipara fuerit baptizata? v. *Suarez tom. 2. in p. 1. disp. 19. ser. 3.*